



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi  
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

**Acquaviva, Claudio**

**Coloniæ Ubiorum, 1616**

124 Fac cum seruo tuo secundūm misericordiam tuam: & iustificationes  
doce me.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](#)

IN PSAL. CXVIII. 59

miro modo sua luce, suo aspectu, & suauitate exhilarat, & mulceret. Quare ergo tristis es anima mea, & quare conturbas me? Nunquid non est, quod respondeas dicentibus, ubi est Deus tuus? Salutare vultus tui est adhuc in peregrinatione: sed veniam tandem Deus tuus, de quo tibi dicitur, ubi est? & absterget lacrymas tuas: pro pane lacrymarum ipse succedet, & te in æternum saginabit.

Et in eloquium iustitiae tuæ. Expectavi cum desiderio, & fiducia salutem non fallaci tuæ promissioni innixus. Promisisti enim non debens, promisisti ex gratia, sed iam sponsionis, & promissionis tuæ chirographum tenens, eloquium iustitiae voco, quia tibi ipsi debes. Fidelis quippe es in omnibus verbis tuis, & sanctus in omnibus operibus tuis.

124. Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam: & iustificationes tuas doceme.

POTENTIAM tuam, qua mundum ex nihilo, solo verbo creasti, adoramus & colimus. Sapientiam, qua disponis omnia, & unum quodque ad terminum suum ducis, admiramus, & prædicamus; sed misericordia miseris sapit dulcius: misericordiam amplectimur carius, recordamur saepius, crebrius inuocamus. An insana fidu-

Misericordia misericordia misericordia.

## 520 MEDITATIONES

cia petendum mihi est, vt intres in iudicium  
cum seruo tuo? Et quis poterit tibi respō-  
dere vnum pro mille? Ad misericordiam  
confugio, qui toties oculum, quēm secreta  
cordium latere non possunt, miserabiliter  
offendi: & si quid boni feci, plura debo.

Quis tanta naturae munera, quis liberatio-  
nem à malis, quis gratuita, & cœlestia dona,  
quis vitæ, salutisque seruatæ diuina benefi-  
cia digno possit æquare seruitio? Miseri-  
cordia, misericordia, inquam, tua præ-  
ueniat me: & misericordia tua subsequatur  
me: quoniam respexisti non iustitiam, sed  
humilitatem, vel depressionem, ac vilita-  
tem meam: saluasti de necessitatibus ani-  
mam meam: nec conclusisti me in mani-  
bus inimici, immo statuisti in loco spatio-  
so pedes meos, educens me in latitudinem,  
& saluum me faciens, non quia merui, sed  
quoniam voluisti me.

Doce me iustificationes tuas, vt agno-  
scam, quia in ipsis vivificatus sum. Nam  
& hoc ipsum misericordiae est, vt eas me  
doceas. Et vicissim, si legibus tuis, & iu-  
stificationibus te quidem doctore, adhæ-  
sero, & misericordiam consequar, & miseri-  
cordiam impendam, primum animæ  
meæ miserens, dum placebo tibi, deinde &  
proximis propter te misericors. Tu vero  
promisisti misericordibus misericordiam,  
qui dixisti. Beati misericordes, quoniam ipsi  
misericordiam consequentur.

125 Ser-

Iob 9.

Psalm. 30.

Eccl. 30.

Matt. 5.